

ciem, totamque Augustinianæ Disputationis feriem paucis exponam, ut Sanctissimi Doctoris mentem feliciter intelligatis. Statim atque internovere Aduerentini Monasterii Monachi, quoddam Gratiz genus ab Augustino aduersus Præagianos prædicari, quæ ad omnes Pietatis actus necessaria esset; nec tamen ullis meritis obtrineretur, sed a Deo pro suæ Voluntatis arbitrio quibus vellet, & quando vellet, conferretur; venit illis statim in mentem perulgata obmurmurantium objectio: si sic est, inquit, nemo itaque corripiendus est, si bonum forte non agat; aut si non perseveret in bono; cum nec agere bonum, nec perseverare possit in bono sine Gratia; quam tamen nec dare ipse sibi, nec promereri a Deo potest; sed Deus tantum supplicandus erit, ut Gratiam ipse largiri dignetur; quam donec habuerit Homo, implendo bono profusus esse impar, penitusque impotens.

Eam ut obmurmurationem dissiparet inclytus Divinæ Gratiz Vindex, Librum edidit de Correctione, & Gratia; quo nimirum multis offendit Argumentis, duo hæc optime coherere: Hominem Divina Gratia egerit, ut bene agat; & nihilominus corripiendum esse, si ea Gratia destitutus bene non agat. Tum subinde Cap. 5. Correctionis utilitatem multis Momentis evincit: ac tandem hanc ipsam exufflat obmurmurantium Monachorum querimoniam ex Apostolo desumptam i. ad Corinth. Cap. 4. quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris, quasi non accepisti? Cur ergo corripiamur, arguamur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus? Ita Monachi arguebantur.

Quibus e vestigio respondet ille Cap. 6.; ideo corripiendus esse, quia culpa sua Gratiam demeruerunt: causamque refundit in Originale peccatum, quibus omnes obnoxii sumus, si id non accipimus, quod ad Correctionem evitandam necessarium esset, nempe Gratiam Fidei. Tum subinde, Monachis de Fidelibus inquirentibus, cur eis perseverantiam non tribuat, quibus jam nullum inest Originale peccatum, quid reponit Augustinus? Audiamus: *me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscentis modulum meum audio dicentem Apostolum: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Et: O altitudo Divitiarum Sapientiz, & Scientiz Dei; quam inscrutabilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Hæc Augustinus Monachis importunitis.*

Addebat, res compertissimas negari a viro prudente non posse, tametsi earum quandoque ratio explorata non sit, imo potius ignota. Et revera quis fluxum, ac refluxum Maris in Oceano differi vellet ob id unum, quod ejus in hanc usque diem ratio explorata non fuerit? Quis ventos idcirco vocet in dubium, quod impervia sit illorum origo? Quis demum rusticus Eclipsim negare audeat, dum eam propriis oculis intuetur; quia unde oriatur ignorat? Quanto minus ergo in ordine Gratiz negari Mytheria possunt Divinis in Litteris luculenter expressa, quia Mytheriorum rationes mente capere, ac Divinæ Voluntatis tremenda Consilia nullatenus possumus? *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit? inquit Apostolus.*

Hæc perbelle quidem auribus excipiebant queruli Homines: at necdum propterea faeces submittebant. Augustinum volentem nolentem congestis Sophismatibus coegerunt, ut aliquam tandem rationem afferret, quorsum suam Deus Justo retraheret Gratiam, sine qua perseverare re ipsa in bono non potest; & tamen idem Deus ei, quod non perseveret, vitio verteret? Reponit importunitis Cavillatoribus Augustinus, Gratiam Justis-tempo-

reanis subtrahi, quia non sunt a Massa perditionis æterna Dei Prædestinatione discreti: hoc est; Gratiam subtrahi ob demerita primi Parentis.

Tempus erat, ut cederet veritati lymphati Circulatorum. At nihil minus: quin potius eo Augustini Responso concitatus illum suis ipsis retibus implicandum existimavit, objecto ipsiusmet primi Parentis Exemplo, cui Gratia ad perseverandum necessaria negata fuit in primæve Innocentiæ Statu, tametsi ob aliquam præviæ corruptionis Massam, alteriusque primi Parentis demerita ei denegata Gratia dici non possit. Hoc ultimum in Augustinum telum contortum ipsiusmet verbis exponam; hujus enim occasione coactus est sanctissimus Doctor Quæstionem, quæ nostri jam Instituti est, ex officio pertractare: *Hic exoritur alia Quæstio (verba sunt ejus) non sane contentenda, sed in adiutorio Domini, in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri, aggredienda, atque solvenda. Queritur enim a nobis, quantum atinet ad hoc Dominum Dei, quod est perseverare usque in finem, quid de ipso primo Homine sentiamus, qui certe sine ullo vitio factus est reus? Tum postea, nonnullis interiectis, objectam sibi Difficultatem ita proponit: Sed illud magis querendum, operosiusque tractandum est, quomodo respondeamus eis, qui dicunt: si in illa re veritate, in qua sine vitio factus est (Adam) habuit perseverantiam, procul dubio perseveravit in ea: & si perseveravit, utique non peccavit, nec illam suam relicitudinem, Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam: & si non habuit non utique accepit. Quomodo enim & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porro si propterea non habuit, quia non accepit; quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus a Massa perditionis Gratia largitate. Nondum quippe erat illa in genere Humano perditionis Massa antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiosa.*

En adversæ Partis Argumentum. Quid ad hoc porro reponit SS. Doctor? An statutam a nobis in præcedentibus Tractationibus Gratia per se efficacis Hypothesein arripit, ut eam Adamo ad perseverandum necessariam fateatur? Imo potius Hypothesein Jansenianam videtur arripere, ut nodum sibi propositum solvat, quæ sola solvi posse videtur. Alterius quippe generis Gratiam Adamo necessariam fuisse respondet, ac nunc necessaria sit Justis: illum Gratia duntaxat versatili eguisse decernit; Gratia, inquam, cujus efficacia, vel inefficacia ex Voluntatis assensu, vel dissensu penderet: eoque pacto totam obmurmurantium Difficultatem feliciter eluit. Si enim Gratia duntaxat sufficiente, ut Schola loquitur, atque versatili egerat Adamus, ut in accepta Justitia perseveraret; & in ejus duntaxat libero arbitrio commissæ erat plena perseverandi potestas absque ullius potentioris Gratiz ope; planum omnino est, illum non perseverando peccasse; nec de subtrahendo sibi Auxilio Adamum conqueri potuisse; cum nullum ipsi in hac Hypothesei subtrahendum esset Auxilium; sed ipse solus Auxilio versatili uti noluisse. Augustini Responsum audiamus, an non ita re ipsa objectum sibi nodum dissolvat.

Duplex imprimis distinguitur Adjutorium: Adjutorium, sine quo non fit bonum opus, quod sufficiens Schola vocat; & Adjutorium, quo re ipsa fit opus; hoc est efficax: Uti alimentum est Adjutorium, sine quo non vivitur; non tamen quo re ipsa infallibiliter vivitur, si quis neglecto alimento mori voluerit: Beatitudo et contra Adjutorium est, non solum sine quo quis beatus esse non potest; sed quo quis re ipsa beatus est. Tum ea suppo-

supposita duplicis Adjutorii distinctione, ita Quæstioni satisfacere incipit: *Primo itaque Homini, qui in eo bono, quo factus fuerat reus, acceperat posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est Adjutorium perseverantia, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per Gratiam Dei prædestinatis non tale Adjutorium perseverantia datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. En primum Augustini Responsum; quo plane liquet, Gratiam efficacem ad perseverandum Adamo re ipsa non fuisse collatam.*

Verum cum ea de re dubitatio nulla esse posset, nec id in Quæstionem ab Aduerentinis Monachis verteretur; sed potius, an ad perseverandum efficaci Gratia eguisset; an illi et contra sufficiens Gratia, quo donatus erat, abunde satis esset (modo illum liberi arbitrii consensu redderet efficacem) Cap. 11. hæc habet: *nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua Gratia, quam reliquit in eis libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab Omnipotenti Bono. Quod Adjutorium si Homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat Adjutorium, quod desereret, cum vellet (notate verba, quæ Jansenii Systema confirmare videntur) & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet. Hæc prima est Gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quæ fit, ut habeat Homo Justitiam, si velit: secunda ergo plus potest, quæ etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. En, ut videtis, Gratiam versatilem Adamo datam, cujus exitus ex ipsis penderet arbitrio, ut is sine nova Gratia ope in Justitia perseveraret, si vellet; aut ab illa excideret, si stare re ipsa nollet: quo ex Capite a Sanctis hujusce presentis Status ferebatur, quibus non ea duntaxat Gratia datur, quæ possint perseverare, si velint; sed quæ re ipsa datur, ut velint.*

Hoc ipsum evidentius Augustinus exponit; & bonorum Angelorum Exemplo confirmat; quos cum sola Gratia versatili, quæ reprobis etiam Angelis data fuerat, perseverasse contendit, solo libero arbitrio Gratia versatilitatem, & indifferentiam determinante: *Dederat, inquit, Adjutorium (Adam) sine quo in ea non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet: quia non dederat Adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, obis meritum fuisse, si permanere voluisset; sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus permissio debita mercedem recipere meruerunt.*

Quid plura? Rationem subjungit Sanctissimus Doctor, cur Deus tam diverſi generis Gratias Homini, & Angelis innocentiis destinaret a Statu Naturæ lapsæ Gratiz tantopere discrepantes; illas scilicet versatiles, & libero arbitrio subditas, ut pro nutu efficaciæ evaderent; istas liberi arbitrii dominas, atque victrices. Sic (Deum) ordinasse (inquit cap. 10.) Angelorum, & Hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sue Gratia beneficium, justitizque iudicium. Adeo veram est, Angelorum, & primi Homini Gratiam libero arbitrio Tom. IV.

bitrio fuisse subditam, quod quantum nativis viribus posset eo in Statu, ostendere voluit Naturæ Conditor Deus. Unde & subdit: *Angeli quidam, quorum Princeps est qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refuge facti sunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, quæ beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere iudicium, per quod miserrimi effecti sunt. Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, sanque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt.*

Is omnibus, ut videtis, propositam sibi a Monachis Aduerentinis Difficultatem eliquavit Augustinus, ut nulla jam nubecula superesset. Quærentibus enim illis, quæ ratione peccati reus esset Adam, quod in accepta Justitia non perseveraret, cum Gratia ad perseverandum necessaria fuisset a Deo destitutus absque ulla sui culpa, nullo præcedente Originis Vitio, nulla vitiatæ Massæ corruptione præteunte; respondet, idcirco peccasse, quia nulla ad perseverandum necessaria Gratia privabatur; quippe qui nullo nisi versatili illo, quo donatus erat, Auxilio indigebat; fatigique illi erat, si illud suo assensu redderet efficacem. Quod cum non egerit, tota in illum culpa regegitur; nulla in Deum querela regegi potest, qui totum illi contulerat, quod ad plenam, cumulatamque perseverantiam satis erat.

Et vero, si Augustinus Thomistarum Systema tenuisset; Gratiam scilicet se ipsa efficacem Adamo fuisse necessariam, non video, quis suæ illius ad Aduerentinos Monachos Responſionis sensus esset; quænam ab illo fuisset objectæ Difficultatis data Responſio. Plus dico, non video, quid ad eam eluendam reponere potuisset; quid Thomistæ reponere possint, quod inquietos animos fatiet, & a scrupulis liberet, si suis de Gratia se ipsa efficaci Adamo, & Angelis necessaria Principis stare velint.

Hucusque, Viri Theologi, Jansenii contra Thomistam Causam egimus; nodum intricavimus Gordiano sine controversia difficiliorem. Hunc in Prælectione sequenti solvendum aggrediemur Divino aspirante Numine, cujus Gratiam vindicamus.

## PRÆLECTIO VI.

Satis fit Argumento Jansenii superius reposito contra Gratia necessitatem in Statu Innocentiæ.

Gravissimæ Controversiæ de Gratia primi Homini, & Angelorum aduersus Jansenium intricata coronidem imposituri hoc unum desideramus in præsens, ut quæ sensus in antea exercitatione proferebamus, eadem illa brevi saltem compendio in memoriam revocetis. Jansenii (si bene meministis) prolixam Argumentum suum phaleris, ac pigmentis ornatum proposuit; quo Gratiam se ipsa efficacem primo Homini Innocenti ad perseverandum inutilem molitur ostendere; & eo maxime titulo, quod ea de re a Monachis Aduerentinis interrogatus alias Augustinus primum Hominem innocenter ab Homine lapsæ ea maxime ratione toto Libra de Corrept. & Gratia distinguat, quia is Auxilio sine quo; hoc est, sufficiens, ut Schola loquitur, duntaxat instructus integrum perseverandi facultatem in libero arbitrio repositam habebat; cum e contra Homo Originali vulnere fuciatu efficaci ad perseverandum Auxilio egeat; quo Deus in illo operetur & velle; nec modo perseverandi potentiam, sed & ipsam perseverantiam largiatur.

Eo plane recidit tota contra nos Jansenii Disputatio; cui ille usque adea fidit, ut eam dupli-



plis Auxilii quo fit opus, & sine quo non fit, distinctionem; eam lapsum inter, & sanum Hominem differentiam ab Augustino eo loci traditam, unicam Augustinianam Doctrinam Clavam appellat; qua praetermissa, necesse est totis oibus abiret quisquis ad eius Doctrinam perdiscendam accedit. Quo circa duo impresentiarum aggredimur demonstranda. Primum: discrimen hoc lapsum inter, & sanum Hominem ab Augustino constitutum a Jansenio perperam jacitari, velut Augustinianae Doctrinae Clavam, qua in eius Scripta aditus sit aperiendus, ac veluti Fundamentum, cui tota Divinae Gratiae Vindicis Doctrina incumbat: alterum; nihil eo statuto discrimine, rotaque cum Aduerentibus Monachis Disputatione docuisse D. Augustinum, quod cum Angelica D. Thomae Sententia conciliari non possit. De primo breviter dicam.

Et vero, ipso quoque Jansenio Iudice certissimum est, D. Augustinum Librum de Correctione & Gratia, ubi eam duplicis Adjutorii distinctionem, eamque lapsum inter, & sanum Hominem differentiam duntaxat constituit, sub Vita sua finem elucubrasset. At (ut S. Prosper loquitur Lib. contra Gullatorem Cap. 1.) viginti, & amplius annis in antecessum contra inimicos Gratiae Dei Catholicae acies Augustini ductu pugnat, & vicerat. Quae ergo duntaxat victoria esse potuisset, si nondum arma ista, quibus duntaxat victoria comparari poterat, S. Augustinus exerauisset? Quibus armis bellum adeo ferum, ac diuturnum consecutum esse potuit, si sua nondum arma hujus certaminis primarius Dux Augustinus in aciem protulisset? Vanus igitur tot annis fuisse Ecclesiae de prostrata Haereti Pelagiana triumphus, si eo Capite sita esset Augustinianae Doctrinae Basis, quod in solo Libro de Correctione, & Gratia sub vita finem exaratum fuisse, compertum est.

Sed & illos quoque Monachos Aduerentinos turpiter delusisset D. Augustinus, si Jansenii observatio veritate niteretur. Is etenim statim, intellectis Monasterii Aduerentini de Divina Gratia diffensionibus, Librum de Gratia & libero arbitrio a se jampidem editum misit; utque illum assidue legerent, vehementer est adhortatus: si ergo, inquit, eum fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum, ut diligens solvendi sciat, quibus, & quibus Quaestionibus solvendis, atque sanandis, non ibi humana, sed Divina occurrat Auctoritas. Et Epist. 47. ad Valentianum & Monachos Aduerentinos: scripsi ad vos etiam Librum de Gratia, & libero arbitrio; quem si adjuvante Domino diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re diffensiones ulterius jam futuras. An vero clausum, obsecratumque Librum mittebat ipsis Sanctissimus Doctor, nondum missa Doctrinae Clavi? Falsoque commendabat Opus, in quo dilucidissime non solum humana, sed & Divina Auctoritas occurreret, solvendis de Divina Gratia Quaestionibus opportuna? Nondum enim Librum de Correctione & Gratia S. Doctor ediderat; neque eam duplicis Adjutorii quo, & sine quo celebrem divisionem pro variis humanae Naturae Statibus docuerat; qua incognita, si Jansenio quidem credimus, necesse erat, tanquam caecos in meridie palpares eos, quos dilucidissime instructos existimabat nihilominus Augustinus. Frustra ergo, ut suum illud vendicaret Argumentum Jansenio, celebrem illam duplicis Adjutorii divisionem in Libro duntaxat de Correctione, & Gratia ab Augustino constitutam, uti totius Augustinianae Doctrinae Clavam, ac Basim haberi voluit.

Sed ad id, quod rei Caput est, veniamus; ac

sive sit illa Augustiniana Doctrinae Clavis & Basis, sive non sit; illud evidentissime demonstramus, SS. Doctorem eo duplicis Auxilii discrimine posito, totaque illa suscepta contra Monachos Aduerentinos Disputatione nihil plane docuisse, quo Gratiam sit ipsa efficacem a Statu Innocentiae, tanquam inutilem, explosuram.

Augustinus in proluxa illa Concertatione cum Monachis Aduerentibus habita de Gratia ad perseverandum necessaria Homini innocenti non instituit comparationem inter Hominem innocentem, & Hominem lapsum, sed potius antithesin ponit; seu, ut expeditius dicam, non illos inter se confert a Qualitatibus, Dotibusque, quibus inter se se conveniunt; sed potius a Qualitatibus, Dotibusque, quibus a se invicem differunt, discrepantque. Quare dum decernit, definitque, quodnam Homini sano, integro, innocenti necessarium esset Auxilium, illud tantum intelligit, quod esset illi necessarium, quatenus differerebat ab Homine lapso; seu illud Auxilium intelligit, quod erat illi necessarium titulo Sanitatis, titulo Integritatis, titulo Innocentiae; seu quod exigebat, quod postulabat Integritas, Sanitas, Innocentia; nequaquam tamen expendit illud, quod erat illi necessarium, quatenus aliunde in aliis Qualitatibus, Dotibusque conveniebat cum Homine lapso; titulo scilicet Creaturae, Causae secundae a Deo in omni operatione sua, maxime supernaturali, dependentis. Hoc semel posito constitutoque Principio facile est, omnia in rectum sensum inflectere, quae a SS. Doctore tota illa Disputatione sunt dicta; omnesque illius loquendi formulas ad Thomisticam Sententiam revocare. Quatuor enimvero ab illo sunt dicta: Primum Factum potius atinet, quam Jus: tria reliqua Jus spectant potius, quam Factum ipsum, Ad Factum atinet, quod ait, Adamo datum fuisse duntaxat Auxilium, sine quo non fit Opus, non Auxilium quo fit: Auxilium, sine quo bonum velle non posset, non quo fieret ut vellet: seu Adamo datum fuisse Auxilium possibilitatis, quod sufficiens recentior Schola nuncupat; quo nimirum poterat absolute loquendo perseverare; non Auxilium efficacis, quo re ipsa perseveraret. Ac eo quidem in Capite nihil a nobis diffidet Augustinus. Nemo enim est ex Thomistarum Schola, qui id ipsum non ultro fateatur.

Alterum addit Augustinus, quod ad Jus incipit attingere; quodque videtur aliquantulum Thomistis incommodare: nempe Adjutorium illud sine quo, seu Auxilium sufficiens Adamo datum talis fuisse naturae, ut in eo, & cum eo permaneret, si vellet. Unde colligi videtur, Auxilium illud fuisse ex natura sua versatile, & ex mera Voluntatis consensione pendens, ut evaderet efficacis, & actualem perseverantiam fortiretur.

At non est ita per fidem vestram. Dum etenim ait SS. Doctor, tale fuisse Adjutorium Adamo datum, ut cum eo, & in eo permaneret, si vellet; tamen si vellet denotat causam & rationem duntaxat immediatam, & proximam permanentis, ut ita loquar, seu perseverantiae; non vero causam & rationem primariam, & radicalem (ut Schola verbi utar) quae aliunde, quam a Voluntate humana petenda erat, nempe ab efficaci Divinae Gratiae Adjutorio. Sic etiam dum in ejusdem confirmationem Angelorum bonorum Exemplum adducit Augustinus in hunc modum: Sicuti fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium perseverant ipsi; causam duntaxat assignat immediatam

tam & proximam stationis, seu perseverantiae bonorum Angelorum, non itidem primariam, & radicalem, quae certe non liberum arbitrium fuit, sed majus Adjutorium, ut loquitur alibi Augustinus ipse. Unde vero habeam hujusmodi Augustinianae Sententiae interpretamentum, audite. Ipsemet Augustinus Lib. 12. de Civ. Dei cap. 6. ita differit: Si enim aliqui duo aequaliter affecti animo, & corpore videantur unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perseverandum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse causam, ut in illo fiat, in isto non fiat voluntas mala? . . . Si eadem tentatione ab utroque tententur; & unus ei cedat, atque consentiat; alter idem, qui fuerat, perseveret; quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate desicere? Hic sane SS. Doctor de duobus loquitur in Statu Naturae lapsae constitutis Hominiibus; in quo quidem Statu Jansenio Iudice, efficacis, & non solum versatilis Gratiae necessitatem ad perseverandum in Voluntate pudica, tentatione gravi pulsante, agnovit perpetuo Augustinus: & tamen perseverantiae causam perseverantis Hominis Voluntati adscribit, nulla profus mentione habita Divini illius, ac efficacis Auxilii, quo perseverantia ipsa donatur. Cur porro? Quia nimirum causam duntaxat immediatam & proximam innere voluit, non primariam ac radicalem; quae a Voluntate humana minime pendet, cum purum Divinae Liberalitatis sit Donum. Quidam ergo id ipsum pari ratione ad objecta nobis a Jansenio Augustini Testimonia reponamus? Videlicet non integram ibidem rationem exposuisse Augustinum dum dicit: permaneret, si vellet: vel: per liberum arbitrium perseverat: Sed dimittam duntaxat, ac in parte tantum, absque exclusione potentioris illius Adjutorii, quod ipsi nimirum velle efficacissima sua Virtute in creata Voluntate fortiter ac suaviter operatur?

Tertium, quod ad Jus attingit, quodque fortassis negotium facessere videtur majus, subjicit, saepiusque inculcat SS. Doctor: nimirum, Hominem primam non eguisse potentiori Adjutorio: non indiguisse Auxilio, qua Deus in eo operaretur, ut vellet.

At nequidem istud incommodat, si quo titulo non egerit, perpendatur. Non indiguit scilicet quo titulo primus Homo distinguitur ab Homine lapso; quod unum eo loci expendit Augustinus: non indiguit, inquam, titulo Sanitatis, titulo Rectitudinis, titulo Innocentiae primigenitae. An autem alio titulo potentiori Gratia indigeret, efficacis nimirum Auxilio, quod in illo operaretur perseverantiam in bono; hoc est, titulo Creaturae, & Causae secundae a Deo in omni sua operatione, maxime supernaturali, dependentis, nequaquam expendit eo loci Augustinus; quod id Instaurati sui ratio minime postularet, ut postmodum evincam.

Quartum demum, in quo delicias facit Jansenius, subjicit SS. Doctor: Sic Deus ordinasse Angelorum, & Hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset sine Gratiae beneficio, justitiaeque iudicium: unde colligit Jansenius, Deum, Augustino Iudice, eatenus ostendisse in Statu Innocentiae, quid posset liberum arbitrium, quatenus Gratiam versatilem Homini innocenti tribuerit, quam ex liberi arbitrii viribus reddere posset efficacem.

At non est ita profecto. Nec enim Deus Gratiam duntaxat sufficientem, seu Auxilium sine quo primo Homini conferens ostendere voluit, quid tunc posset liberum eius arbitrium tam ad

Serry Tom. IV.

bonum, quam ad malum; quasi vero tunc posset Gratiam illam sufficientem reddere efficacem ad bonum opus peragendum; sed ostendere tantummodo voluit, quid liberum arbitrium solo Auxilio sufficienti donatum, suisque viribus relictum, quid, inquam, posset ad malum; non ita tamen quid posset ad bonum; ad quod certe nihil potest potestate, ut Schola loquitur, consequente, seu cum actu conjuncta, quamdiu solo illo sufficienti Auxilio instructum manet. Hanc porro esse S. Doctoris Sententiam, non illam, quam ipsi Jansenius affingit, satis compertum est ex Lib. de novo Cantico cap. 8. Ad malum, inquit Augustinus, sufficit sibi, ad bonum non, nisi adiuvetur a Deo: & Cap. 11. de Corrupt. & Grat. Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab Omnipotenti Bono. En avulsam scrupulum illum ex Augustini cum Monachis Aduerentibus Disputatione, verius dixerim, Clavam sat bene recutum.

At inquit Jansenius: Si sic est, uti diximus; nihilque aliud sibi voluit Augustinus nervosis illis loquendi formulis, atque sententiis, quam quod haecenus exposuimus, objectam itaque a Monachis Difficultatem minime solvit SS. Doctor, sed callide potius diffimulavit. Quarentibus enim illis, cur modo Hominiibus justis vitio vertatur, graviterque illi corripantur, quod in accepta Justitia non perseverent, tamen eis denegat Deus inestimabile illud Donum, quo solo fieri potest, ut re ipsa in ea Justitia perseverent; repositur illico Augustinus, negatum esse Donum illud ob demeritum Originalis peccati; atque ita in vitio illos esse, si non perseverent; quia & haec ipsa Domini necessarii denegati ex ipsorum Naturae Vitio ortum habet. Instantibus autem illis, importuniusque quarentibus: quorsum ergo Adamo vitio vertitur, quod non perseveraverit; cum fingi non possit, negatum illi esse Gratiam ad perseverandum necessariam propter demeritum Originalis peccati? Respondet Augustinus, Gratiam efficacem non fuisse illi ad perseverandum necessariam. Si ergo id sibi vult tantum, non fuisse illi hujusmodi Gratiam necessariam titulo Sanitatis, titulo Integritatis, titulo primigenitae Innocentiae; ita tamen, ut esset illi necessaria alio titulo, nimirum Causae secundae a Deo in omni operatione sua dependentis; eadem semper remanet Difficultas, cur illi hujusmodi Gratia tantopere necessaria fuerit denegata: cur peccaverit eo sibi necessario Auxilio destitutus?

Responsio in promptu est; Augustinum scilicet objectam Monachorum Difficultatem fatiscisse, non quidem qua late patet ipsa per se; sed quantum ad eximios Monachorum scrupulos ea in occasione necesse fuerat. Eam enim Difficultatem ex Adamo perseverantiae petitam implicaverant Monachi, ut ostenderat, justum non esse modo corripiendum, quod non perseveret in bono; si Gratia efficacis, (qua supponitur destitutus hoc ipso quod non perseverat) illi omnino est ad perseverandum necessaria. Hunc illis scrupulum cumulatissime eximit Augustinus, objectamque Difficultatem cassam, ac futilem esse demonstrat ex hoc solo, quod Statum Adamo longe a Statu nostro differre convincit; Gratiamque illi ad perseverandum necessariam alterius esse conditionis, & fortis a nostra; nec infirmis, & corruptionis titulo fuisse in illo desideratam, quemadmodum desideratam in nobis; nec eadem ratione potuisse illi denegari. Sic enim sufficienter ostenditur, lapsum Adamo in Exemplum modo trahi minime posse: illumque perperam a Monachis obrudi, ut inutilem in praesentia Justorum